

cum scilicet infelicem animam tradit sathane cruciandam. sicut denique de iuda scriptum est. Quoniam post bucellam introiit in eum sathanas. Quapropter si talibus sis laqueatus: caue ne pro aliqua causa vel necessitate absque debita contritione et proposito penitendi et confessione premissa accedere ad altare presumas. Quia horrendum est incidere in manu dei viventis. Sed heu quot sunt hodie sacerdotes miseri: et sue salutis improvidi: qui christi corpus in altare velut carnes pecudum manducant: et inuoluti ac contaminati abominacionibus de quibus dicere fas non est sceleratis manibus et polutis labiis contingere non verentur et osculari filium dei et marie virginis. Verum si hoc sacrificium suscipit deus: audeo dicere medax est reputandus: et socius peccatorum. Insuper quod deterius est ad tantam pervenerunt temporibus istis perversitatem et stultitiam quandam: ut putent infelicissimi sua scelera et immunditiam peccatorum: que quotidie operantur et iterare proponunt: absque penitentia et confessione per sacram communionem quotidie celebrantes expiare. Tales non sunt sacerdotes: sed sacrilegi non christiani: sed heretici. Profecto si fidem rectam haberent: aut peccare timerent: aut a celebratione cessarent. Secundo non solum mentis: sed et corporis est mundicia attendenda: ideo caue ne immundus accedas. Nec tamen dico de immundicia voluntaria que mortalis est: sed etiam de nocturna siue casuali macula que impedit celebrationem: ubi non est magna necessitas vel iussio precepti. Ubi ergo predictae interuenerint macule in quibus non dederis occasionem vel causam per precedentem concupiscentiam: vel inordinatam crapulam: neque secuta est notabilis mentis inquinatio per reminiscentiam: vel illusionem fantasticam carnalium credo quod accedere possis: salvo meliori iudicio: maxime si singularis deuotio ratione solennitatis vel alterius te traheret ad celebrandum. Custodire etiam debes pudicitiam manuum quantum potes: et omnium membrorum tuorum puritatem. Unde tibi consulo ut pre ceteris hominibus omni tempore: maxime dum missa celebratur: caueas ab omni tactu non solum turpi et immundo qui fit sine peccato: sed etiam a quolibet indecenti et inquinatio tuo. et te totum recolligas: ut ne actus: nec cogitatio ad alii

*videtur
macula.*

consilio.